



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 30. De Prouidentia Dei in gubernatione tum Mundi totius, tum
præcipuè, hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

bus ego me Domine committo ; siquidem
in illis sunt sortes mea ; dirige ergo tua pro- in Psal. 30.
videntia omnes actiones meas , vt ita oculis 16.
tuis placeant , vt felix mihi fors contingat
aeternae tuae beatitudinis, Amen.

MEDITATIO XXX.

DE PROVIDENTIA DEI
in gubernatione mundi &
hominum.

PUNCTVM I.



PRIMO tanquam fundamen-
tum huius Meditationis,
consideranda est altissima
providentia, quam DEVS
Dominus noster in mundi
creatione erga homines o-
stendit ; & breuiter resu-

mmenda sunt quae in praecedentibus Meditatio-
nibus sunt posita.

Nam PRIMO Deus fabricauit domum, in
qua homines habitarent, iaciens eius funda-
menta, muros erigens, & testudinem supra
construens, Coelum videlicet; Terram, & ele-
menta, quae inter vtrumque iacent.

DEINDE tribus primis dieb⁹ fecit diuisiones

I.

II.

& separationes, sicut qui in domo sua diuersa facit cubicula, atria, & aulas, pro diuersitate eorum, qui illam incolent. Simul quoque plantauit hortos, & domos recreationis, & loca in quibus arbores cōsererentur, quarum fructus alimentum essent uiuentium: & in occultis terræ cauernis posuit thesauros auri & argenti, quibus homines ditescerent: item luminaria adhibuit, quæ die noctuque lucem suam darent.

III. POSTEA prouidit habitatores maris, aeris, & terræ, singulis communicans facultates & potentiam, ut in specie sua multiplicarentur, ut perpetua esset in ea specie successio, quamdiu mundus staret.

IV. VLTIMÒ tandem creauit hominem, quem constituit Dominum huius domus, & fortunarum eius, cum usufructu omnium, ac dominio, non quidem absoluto, sed ipsius Dei dominio subiecto; & cum onere reddendi ei rationem, quomodo scilicet reliquis creaturis & fortunis sibi traditis esset usus, sicut æconomi solent rationem reddere suis Dominis.

HOC totum modo superiùs declarato, est perpendendum; & attendendum, quam integra fuerit & absoluta prouidentia Dei in hoc opere Creationis; siquidem nullus paterfamilias aut princeps est, qui domum aut palatium ædificare possit cum tanta rerum omnium ad destinatos sibi fines necessariorum prouisione, atque Deus hanc huius mundi

domum

domum pro nobis fabricavit. Quod totum mihi ipsi licebit applicare, expendendo quod DEVS Dominus noster, antequam ego nascerer, designavit mihi sua divina providentia locum, particularem domum, & fortunas, quibus possum vitam meam transigere; & quæ mei maiores suo labore compararunt, nunc ego cum quiete utor. Propter quæ omnia, ingentes ei gratias agam, studens eius providentiam imitari in cura animæ meæ, ita ut antequam illa ex hoc mundo exeat, comparaverim ego illi bonis operibus domum, fortunas, & divitias in altero. nam qui me absque meis meritis, mera sua gratia in hoc invisibili mundo creavit, non vult me ad invisibilem transferre, nisi cum ipsius gratia, mea etiam merita coniungantur quod fiet si vear fideliter bonis & fortunis, quas mihi hic dedit, ut a facerem mihi amicos. qui, cum defecero, recipiant me in aeterna tabernacula.

O Creator amantissime, qui admiranda providentia, ab ipso mundi exordio bona mihi preparasti, quibus nunc fruor; concede mihi quæso, ita rectè ac fideliter illis uti, ut quando in fine mundi, rationem à me exegeris, bonam reddere possim, Amen.

Luc. 16. 9.
3. Part. Medit. 52.

PUNCTVM II.

DEINDE considerandum, quod DEVS Dominus noster, statim atque mundum creavit, ipsemet ex providentia sua, re-

a *Iob. 34. 13.*b *Sapi. 14. 3.*

cepit in se eius gubernationem, ut testatur Iob
dicens: a quem constituit alium super terram:
aut quem posuit super orbem, quem fabricatus
est? Et Sapiens adiecit: b Tua, Pater, provi-
dentiā gubernat, à principio scilicet omnia.

I.

s. *Thom. 1.*p. *q. 103. a. 2.*

CIRCA quod est perpendendum, Pri-
mum quàm bene nobiscum agatur, quod vnus
idemque sit Creator & gubernator mundi,
omniumque nostrum; is enim nos tanquam
rem propriam gubernabit, curamque no-
stri geret, tanquam operum manuum sua-
rum. Et quoniam eius opera sunt perfecta,
& illa creavit, ut suam bonitatem ostende-
ret; propter eandem causam decebat, ut ip-
semet ea gubernaret, & ad eos fines dirigeret,
& per ea media, quæ ad eos consequendos ip-
se constituisset. O Deus amantissime, dupli-
ci titulo & nomine peto, ut me protegas sem-
per, donec vltimum finem meum obtineam.
Alterum est, quod sis meus Creator, alterum
quod sis etiam Gubernator. Qui quamvis me
sine meo cōsensu creaveris, vis tamen guber-
nare absq; detrimento meæ libertatis. Ita er-
go me Domine, gubernā, ut gubernationi tuæ
non resistens, finem tandem obtineam, in
quem me creasti.

II.

s. *Thom.*

suprà a. 3.

DEINDE perpendam, quàm bene nobiscum
agatur, quod supremus gubernator sit vnus,
cui cæteri omnes pareant, qui huius guberna-
tionis partem aliquam ab ipsius auctoritate
sibi commissam habent: si enim est vnus su-
premus, omnes creaturas dirigit ad vnitatem

& ca.

& pacem, moderans earum discordias & dissensiones in commune bonū vniuersi; ideoq; omnes homines vniiri poterunt, & esse inter se conformes, si gubernationi legibusque vnici gubernatoris, qui omniū est finis vltimus, sese accommodent. Quamuis, vt eorum consulat libertati, nō velit hic gubernator, eos cogere, sed tantū inuitet, alliciatq; verbis illis dulcissimis, quæ dixit per Isaiam, c *Ego Dominus Deus tuus. gubernans te in via qua ambulas, in ratione scilicet vitæ quam ducis. Vtinam attendisses mādat a mea: facta fuisset sicut flumen, pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.*

Omniū gubernator vnice ac supreme, cuius nutui & gubernationi creaturæ oēs rationis expertes, absq; vlla resistentia parent; siquidē ad eō desideras, vt & nos homines tibi obediamus: da nobis quod iubes, vt impleamus quod desideras; & iustitiam pacemque consequamur, quam nobis promittis, Amen.

c *Isai. 48. 17*

III.

TERTIO perpendēda est infinita Dei bonitas & liberalitas, q̄ in hoc ipso apparet, q̄ ita per seipsū gubernet singulos, attēdens quid cuiq; sit necessariū, vt nō sibi soli totā gubernationem retineat, sed aliquas creaturas eius faciat participes, hūc illis honorē deferens ac dignitatē, vt alias gubernent. ad q̄ præstandum sufficienter illas instruit, & ita vult homines esse subiectos ijs, q̄ talē authoritatē ab ipso acciperūt, & ei⁹ loco ac nomine eos gubernāt, ita vt d *qui illis resistat, Deo ipsi resistere censeatur,* d *Rom. 13. 1. 2.* vt ait Apōst. *quia omnis potestas eorū est à Deo,*

d *Rom. 13.*

1. 2.

qui sua infinita prouidentia assistit ijs, qui eius nomine præfunt & gubernant, eorumque defectus in gubernando supplet ac reparat, educens ex eorum erratis aliquid boni pro suis Electis. Gratiastibi, gubernator sapientissime, pro singulari hoc tuæ gubernationis modo, ita tibi proprio, vt in alio nullo possit inueniri. guberna itaque Domine eos, qui nos tuo nomine gubernant, vt rectè id faciant; & nos quoque guberna, qui ab illis gubernamur, vt propter te illis subiiciamur; cor fidentes tuæ prouidentia, quæ omnia conuertet in maius nostrum bonum.

PUNCTVM III.

TERTIÒ consideranda sunt admiranda huius gubernationis DEI Domini nostri excellentia.

I.

a Sap. 14. 3.

b Sap. 8. 1.

PRI MA est: quòd sit gubernatio paterna. sic enim Sapiens Deum appellat *Patrem*, cum dicit, a *Tua, Pater, prouidentia gubernat*, ideoque gubernat suauissimè b *disponens*. vt idem Sapiens dixit, *omnia suauiter*; dans vnicuique magnam propensionem ad proprium suum finem, ad què hæc gubernatio dirigitur. Et quoniam beneuolus hic Pater vidit hominem à natura sua, propter spiritum sibi inditum, inclinare ad virtutem; sed à carne, cui spiritus erat còtinctus, aliquam sustinere contradictionem; ita in initio disposuit, dando illi donum iustitiæ Originalis, qua efficeretur, vt caro omnino

effec

efficit spiritui subiecta, ut propensio ipsius spiritus prævaleret: post peccatum verò originis, dat nobis etiã supernas virtutes, quæ sunt potentes & efficaces propensiones ad reddendum c iugum legis valdè suave.

c Mat. 11. 30
11.

SECUNDA excellentia est, quod hæc gubernatio sit etiã efficax, ut simul sit suavis & fortis, ita enim Sapiens dixit: d *Sapientia diuina attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*; quia omnia sunt ipsi subiecta, nec est qui voluntati eius possit resistere: est quæ deo potens, ut efficere possit, ut velimus quod ipse vult, & quidem ita, ut in eo volendo delectationem & voluptatem sentiamus: Id quod est proprium diuinæ sapientiæ & omnipotentia.

d Sap. 8. 1.

c Ester. 13. 9
c Rom. 9. 19

III.

TERTIA excellentia est, quod ea gubernatio sit iusta, nam etiam si ipse sit Dominus absolutus omnium, nec vlli redditurus sit rationem eorum, quæ facit; gubernat tamen cum omni rectitudine & iustitia, dans unicuique rei quod secundum propriam naturam conuenit; & homines gubernat promittendo præmia, & mutando supplicia, in quo etiam seruat iustitiam cum omnibus, quamuis paterna misericordia plenam, minatur enim tanquam Pater, miserans, ut omnes finem assequantur eius gubernationis.

IV.

QUARTA excellentia est, quod sit gubernatio vtilissima omnibus, qui gubernantur. tã teste S. Thom.) gubernatio Dei tres habet in genere effectus, in quibus innumerati alii con-

q 103. q. 4.

tinentur. *Primus* est, assimilari summo bono, per participationem infinitæ ipsius bonitatis. *Secundus* est conseruatio in accepto bono, ne eo priuemur, aut illud imminuatur. *Tertius* est fortiter & suauiter permouere nos ad eiuſdem boni augmentum & perfectam possessionem.

PERPENDENS itaque has quatuor diuinæ gubernationis excellentias debeo in vnaque earum letari & exultare, ob infinitam bonitatem, sapientiam, iustitiam, & omnipotentiam supremi huius gubernatoris, & felicem me existimare, quod sim sub eius gubernatione; gratiasque agere etiã propter istum modum, quo me gubernat, supplicans demissè, vt me ita adiuuet, ne ab eius directione vnquã discedã. O anima mea, si necesse est te gubernari, quem præstantiorem gubernatorem, & commodiorem gubernationem potes desiderare? si tali gubernatori parueris, quid tibi deesse potest?

Psal. 22. 1. Dominus regit me, ait David, *nihil mihi deerit*, nec vita mihi deerit, nec salus, nec honor; nec quies; nec vllum temporale bonum, quod querendum consequendum vsui mihi esse possit, vnquã deerit; & multò minus deerit virtus, gratia, sapientia, & cœlestia dona, quæ mihi ad æterna consequenda erunt necessaria. Solùm mihi deerit, quod nihil est. scilicet peccatum, si Dei gubernationi me subiicio. nam quidquid est aliud, quod ad animæ meæ bonum conferat, id mihi ipse dabit abundanter. O dilecte mi, tu me rege, & benè regar; tu me gubernas, & gubernas.

bernabor benè : ne quæso ego me ipsum gu-
bernem, nec me gubernet mundus, nec ca-
ro, nec vllus alius, qui extra tuam sit gu-
bernationem, à qua totum meum pendet re-
medium.

Ex his considerationibus discam imitari
hanc Dei gubernationem, cum quatuor his
proprietatibus, quæ in ipsa Dei gubernatio-
ne relucet, si aliquos Deus mihi commiserit
gubernandos. eo enim perfectior erit huma-
na gubernatio, quo erit similior diuinæ. pro-
curando (vt ait Sanctus Petrus) *g ne sit vt do-*
minantis in subditis, aut tyranni; nec coacta, *g 1. Pet. 5. 3:*
sed
voluntaria, paterna & suavis; non remissa aut
pusillanims, sed efficax & fortis; non iniusta
sed iusta; non præcipuè ob *lucrum* guber-
nantis, sed ob commodum eorum qui guber-
nantur, & pro gloria supremi gubernato-
ris & *principis pastorum* ac gubernatorum
mundi, & Ecclesiæ; vt *cum ille venerit* ad
gubernationem exigendam, & iudicium feren-
dum, digni illi gubernatores inueniantur,
qui percipiant immarcessibilem gloriæ co-
ronam.

PUNCTVM IV.

QVARTO, alia quoque excellentia est cõ-
sideranda gubernationis Dei, quæ se ita
extendit à sine vsque ad finem, vt oës
vniuersum creaturas complectatur Cœli

S. Thom. 1.
p. 1. q. 103. a. 5.
ex S. Aug. 6
de Ciu. G.
q. 82. a. 2.

& Ter-

& Terræ, à supremo scilicet Seraphino, vique ad vltimum & despectissimum vermiculum, circumspectans magna solitudine omnia, quæ ad illas pertinent; atque si nihil aliud haberet quod ageret; & quod est consequens, sollicitiùs adhuc omnes homines, & eorum singulos gubernat, nam & h' *capillos capitis ita numeratos habet, vt nec vnus illorum pereat.* & quamuis homines sint plurimi, ita tamen omnes gubernat, atque si vnus esset solus, nec minorem nunc gerit curam innumerabilium hominum, qui nunc sunt in mundo, quam octo tantum, qui erant in arca Noe, aut solius Adami, cum ille esset in Paradiso; quia neque multitudo illum occupat aut distrahit, neque paucitas animum illi aufert; quia ipsius bonitas, vt quæ est infinita, extendit se ad omnes *et paruos & magnos, multos & paucos: nam et si omnes ad ipsius magnitudinem comparati sint parui; ad charitatem tamen eius comparati, omnes sunt magni: Infinita autem ipsius sapientia, plurimi sunt tanquam vnus. Nam equaliter cura est illi de omnibus. quare licebit dicere cum S. Aug. o tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemq; nostrum, tanquam vnum cures, & sic omnes tanquam singulos.*

Ex his colligam, gubernationem Dei erga me, habere omnes prædictas excellentias: est enim mihi gubernatio ista paternã, est suavis, fortis, efficax, iusta, & utilis, vt non possim meritò de ea conqueri. Et propterea non sine causa in scriptura ponitur in singulari qui gubernat.

h Mat. 10. 30

i Luc. 21. 18.

k Sap. 6. 8.

Nota.

Lib. 3. Con.

f. ff. c. 11.

bernatur, sicut dixit David, *I Dominus regit* *l Psal 21. 1.*
 Me, per Isaiam dicit ipse Dominus *m Ego Do. m Isa. 48.*
minus gubernans TE, ut ego intelligam, serua- *17.*
 re ipsum mecum suæ gubernationis perfe-
 ctionem. Negari tamen non potest, quin sibi
 chariores & electos maiori providentia gu-
 bernet, ut infinitam suam charitatem magis
 manifestet. Quo verò ego magis me faciam
 participem eius gubernationis, iuuerint
 tria media, in fine proximæ meditationis po-
 sita, ut credam, sperem, ac diligam supremum
 hunc gubernatorem. Gratias tibi Pater a-
 maneissime, ob curam quam geris de me,
 atque si solus essem in mundo; qui tamen
 omnium sum miserimus. Utinam ego te ex
 corde laudarem ob ea bona, quæ omni-
 bus largiris, ut omnes etiam te lau-
 darent, ob ea quæ mihi præstas, ut
 ego & omnes simul te fruamur
 in æternum. A-
 men.

